




UB Halle / S.







1588.

1. Bretto, Francus Belsonus : Invenientia de contractu  
locationis et conductiois, quae ex leg. institut. 25. lib. 5.  
et concordantibus alijs leg. locis, probatis item ad-  
collecta sententiarum publicae disputanda proponunt.

1607.

Facchi, Ludovicus Fridericus : De impotentia virili.

1615. Meier, Joh. Henr. : De jure hereditatis jacentis.

1624.

Wanerus, Johan Rudolphus : Discursus academici, super quae-

stione illa juris vexatissima equum in solutionibus

tempus contracti debiti, vel solutionis de jure inspiciunt.

Item Ob bey auserstehender Thatsachen die Zeit besche-

ner Conventio, oder der Zahlungs-Termin ungewissem sey?

1629.

Norimbergus, Ernestus Gottfriedus : De sponsalibus

1631.

Remmenius, Henricus : De cessionibus actionum

1633.

Rennemann, Henricus  
Bruckner, Hieronymus: Subsequentem portionum  
decadem . . . discutiendam proponit . . .

Bruckner, Hieronymus: Exercitatio juris D'ca, quae  
decadem portionum & donationum materiae temeraria  
rum . . . publice submittebat examini;

1646.

Möller, Johannes: De jure repressationum

1650.

Möller, Johannes: De sequestratione

1648.

Appelstedt, Johannes: De separationibus.

Möller, Johannes: De patria potestate

1649. Bergmann, Theophilus: Responsabilibus

1657. Möller, Johannes: De jure emphyteutico

1653.

Müller, Johannes: De legatis

1653.

Schuetzen, Benjacobum : De jure amicitiae

1658.

Mueller, Johannes : De jure accrescendi

1658.

Jude, Johann Hermann, a : Disputatio juridica celebrata  
decedem quaestionum juris tam publici, quam privati  
controversarum

1664.

Okrandt, Johann Melchior : De jure dictione.

Okrandt, Johann Melchior : De sponsalibus

Okrandt, Johannes Melchior : De potestatibus personarum

Okrandt, Johannes Melchior : De ultimis voluntariisq.  
regalium jure.

1662

Okrandt, Johannes Melchior : De mandatorum cum et  
sine clausula materiae proximae.

1664.

Love, Johann Hermannus, a : De fidejussoriae

1665.

Love, Johann Hermannus, a : Omnes sententiae nostrae  
procurator ac civitas, jurisq. tam publici, quam privati  
Custodibus s. p. d.

Obrecht, Johann Melchior : De locazione et conductione

Love, Johann Hermannus, a : De pecunia executionis

1669.

Johann Melchior, Johannes : De competentia fori ex  
Causa rei vitae



1742  
41  
5  
JESU AVSPICE  
POSITIONES HASCE JURIDICAS

De

SPONSALIBVS

Permissu Amplissimi in Alma  
Erfurdensi Academia Ictorum  
Ordinis

PRÆSIDE

Viro Clarissimo & Consultissimo

DOMINO

ERNESTO - GOTHOFRE-  
DO NORINBERGIO I. V. D.

ejusdemq; Facultatis Collega dignissim<sup>o</sup>, Fra-  
tre meo honorando

In Auditorio Ictorum ad d. Mart.

Publicæ disquisitioni subjeio

JOHANNES - FRIDERICUS NORIN-  
BERGIUS Ordrusia - Thuringus.



ERFURDIÆ

Ex Officina Typographica Christophori Mechleri, An. 1629.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is significantly faded and obscured by water damage and foxing.



De  
SPONSALIBUS

Thesis 1.

**S**ponsalia sunt mentio & repromissio futurarum nuptiarum. Florentinus *J.C. in l. 1. de Sponsal. qvem secutus est, Pontifex in c. nostrates 30. q. 5. Vide Alberic. Gentil. lib. 2. de Nupt. cap. 1.*

2. Sponsalia à spondendo dicta putat Ulpianus, nam moris fuit Veteribus plerumq; stipulari & spondere sibi Uxores futuras *l. 2. h. t. Unde & sponsi & sponsæ appellationem natam asserit Florentinus in l. 3. h. t.*

3. Vocantur etiam passim conditiones velut *in l. ult. h. t. l. fin. de Proxenet.* propterea quod in sponsalibus nuptiarum fierent pactiones & de dote, donationibus, promissionibus & conditionibus quibusdam conveniretur. *Hottoman. de Cast. Nupt. cap. 1. circ. fin.*

4. Causa efficiens sponsaliorum sunt Personæ habiles, & quæ à contrahendis sponsalibus non sunt prohibitæ. Prohibentur quædam Absolutè & generaliter, quædam determinatè & specialiter.

5. Absolutè prohibentur, qui vel propter defectum consensus, quales sunt furiosi *l. 8. h. t. l. 16. §. 2. de R. N. c. dilectus 24. X. de Sponsal. nisi habeant dilucida intervalla arg. l. 14. de*

Offic. Præsid. & insanè ebrii, nisi sobrii recognoscant, quæ promiserunt ebrii. *Beust. de spons. c. 11.* item amentes, cum non minus rationis sint expertes quàm furiosi *Alber. Gentil. de Nupt. lib. 3. c. 7.*

6. Vel propter generandi impotentiam, quales sunt castrati §. 9. *Inst. de Adopt. l. 6. §. 1. de lib. & posth. l. 6. §. 2. de jur. Patron.* quorum vitium est insanabile *arg. l. 39. §. 1. de jur. dot. Frigidi l. 10. C. de Repud. et. X. de frigid. & maléf.* item infantes *l. 14. b. t. c. literas. c. accessit c. ad dissolvendum de despons. Impub.* ne ullo cum homine sponsalia contrahere possunt.

7. Ætas nimis provec̃ta olim etiam impediēbat nuptias *ex l. Papia Poppæa. Ulp. fragm. tit. 16.* quod tamen à Justiniano correctum *l. 27. C. de Nupt. l. 12. C. de legit. hered.* non quod magnopere probentur talia senum conjugia, sed quod tolerentur; sane cum vero suo fine plerumq; ea destituantur, in Republ. haud facile erunt permittenda. *Sutbolt. disp. Inst. 2. aphor. 27.*

8. Determinatè & specialiter prohibentur illi, qui per se ad matrimonium contrahendum habiles, cum hâc vel illâ personâ contrahere non possunt: cujus prohibitionis causam primam pono personarum inter se Propinquitatem, quæ rursus in duo membra abit: Cognationem vel Affinitatem. *Sutbolt d. disp. 2. aphorism. 28.*

9. Cognatio in genere est jus quoddam inter certas personas, quæ natura vel legis fictione inter se cognatæ sunt, institutum *l. 4. de Gradib. Beckstad. Collat. jur. Connub. part. 1. cap. 1.*

10. Estq; vel Naturalis vel Legalis; quarum illa ex carnali propagatione descendens, derivatur in omnes, qui ex generatione communionem ejusdem familiæ habent. *Videl. 195. §. 2. & 4. de V. S. Althus. Dicoeolog. lib. 1. c. 7. n. 12. 13. 14.* Hæc ficta nimirum ex adoptione proveniens inter adoptantem liberosq;

rosq; ejus & adoptatuta in lucitur §. 2. *Inst. de Adopt. l. 23. ff. eod.* non autem & hujusliberos §. 3. *vers. ejus vero. Inst. de Nupt. Bechst. d. p. 1. c. 4.*

11. Subdividitur utraq; Nam Naturalis cognatio interdum mere est naturalis, interdum Naturalis & civilis simul. Prima per concubitus vagos & ex filiis inde natis l. 4. §. 2. v. & *quidem. de grad.* Posterior ex legitimis nuptiis nascitur d. l. 4. §. 2. *vers. utroq;* & olim ex concubitu probato etiam oriebatur. *Petr. Greg. Tholosan. synt. jur. d. 9. c. 8. n. 4.*

12. Legalis cognatio est. quæ ad similitudinem graduum naturalis inducta est. *Tholosan. d. loc. n. 6.* Ea autem vel secularis vel spiritualis est. Secularis per cooptationem in filium *pr. Inst. de Adopt. successionis causa §. 2. & ff. Inst. de legit. agnat. success.* Spiritualis per susceptionem ex baptismo sacro confirmationis & doctrinæ atq; etiam testimonii causa constituitur. *Sutholt d. disp. 2. aphor. 29. Covarr. p. 2. de Matrim. c. 6. §. 4. n. 1.*

13. Quamvis verò cognatio spiritualis tam apud Justinianum l. 26. *C. de Nupt.* quam Pontificios *tt. x. de cognat. spirit. sponsalibus* creet impedimentum. *Covarr. d. loc.* In Ecclesiis tamen Augustanæ Confessionis prohibitionem hujusmodi tanquam commentitiam prorsus rejiciendam esse tradit. *D. Phil. Melancht. in loc. de conjug. & Ethic. de Arb. consang. & explosam hanc asserit etiam Bidenbach. de consang. q. 4. in fin. secundum Luther. Tom. 2. Jen. ger. fol. 273. Vide omnino consilia Pfells cent. 1. consil. 5. adde VVesenb. de R. N. n. 4. Cypr. de spons. c. 6. §. 4.*

14. Missa ergo cognatione spiritali ad Naturalem & Legalem revertamur, ob quas quasdam personas matrimonio conjungi legibus nostris prohiberi certū est, sed quænam sint illæ incertū. Quare cū hæc ex lineis in quas dividitur cognatio, & gradibus quibus distinguuntur lineæ, debeāt estimari, ante

quam quousq; prohibitio ista sese extendat, quæramus, de utroq; erit præmittendum.

15. Gradus dicitur habitudo h. e. mensura distantium personarum, qua cognoscitur, quæta cognationis distantia duæ pluresve personæ differant. *Covarr. d. loc. §. 6. n. 6.* Gradus dicti per metaphoram ad similitudinem scalarum locorumq; proclivium, quos per gradus ita ingredimur, ut à proximo in proximum h. e. eum qui ex illo quasi nascitur, transeamus *l. ult. §. 10. de Gradib.* Estq; vel Directus vel Indirectus. Directus est, qui est in linea directâ. Indirectus qui est in Indirectâ sive obliquâ.

16. Linea hîc nihil aliud est, quam collectio personarum ad eundem stipitem communem relatarum, quæ duplex, Recta & Transversa *l. 9. & 10. de Gradib.* Recta est vel superior sive Ascendens, quæ parentum, vel inferior sive descendens, quæ liberorum est *l. 1. in pr. de Grad. l. 9. eod.* Inde quoq; parentes appellantur Ascendentes & superiores; liberi descendentes & inferiores *Novell. 118.*

17. Linea superior sive Ascendentium dicitur, in qua sursum versus ad generantem personam rectâ ascenditur à persona generata, ut à filio ad patrem, ab hoc ad avum, inde ad proavum, Abavum, Tritavum, qui omnes parentum nomine continentur *l. 51. de V. S. d. l. 10. §. 7. de Grad.* qui supra hos sunt, majores vocantur *d. l. 10. §. 7. de Grad. l. 4. §. 2. de in jus voc.*

18. Inferior sive descendens est, in quâ à generante, descenditur ad generatas, veluti à patre ad filium, inde ad Nepotem, Pronepotem, Abnepotem, Atnepotem, Trinepotem, qui ultra hos sunt posteriores vocantur *d. l. 10. §. 7. de Grad.* Et si & aliquando quoq; liberi *l. 220. de V. S.* sicut & aliquando filii nomine omnes liberos intelligimus *l. 84. eod. Tholos. d. lib. 9. c. 9. n. 16.*

19. Tran-

19. Transversa est illa, in qua ab una persona, de ejus cognatione quæritur, ad communem parentem, quem vulgo stipitem appellant, ascenditur, & ab eodem in altero latere rursus descenditur, veluti à fratre ascenditur, ad patrem, & ab illo rursus descenditur ad alterum fratrem.

20. In numerandi calculo alius modus est J. Civilis, alius J. Canonici, quia horum diversi fines, ad quos stemmata ordinant & gradus distinguunt *c. ad sedem Apostolicam 35. q. 5.* De J. Civili una est regula, Quot sunt generationes, tot sunt gradus *§. 7. Inst. de Grad.* Quacum in effectu coincidit hæc; Quot sunt personæ tot sunt gradus dempta una. Quæ regulæ clare quidem patent in linea recta; in linea v. indirecta, quoniam à latere ad latus perveniri nequit, nisi per eum transeas, à quo veluti communi limite utrumque latus descendit, necesse est primum ut ab eo de ejus cognatione quæritur ad communem cognationis istius duplicis autorem sursum progrediaris & inde rursus deorsum ad alterum, de quo & ipso quæritur, pervenias. *Beza de Repud. pag. 20. Vide etiam th. præc.*

21. Computatio Jur. Canonici in linea recta cum Jur. Civili convenit: differt ab eodem in computatione lineæ transversalis, quam distingvit in Æqualem & Inæqualem. In æquali hanc habet regulam; Quoto gradu personæ conjungendæ distant à stipite communi, eodem à se invicem distant. In inæquali hanc; Quoto gradu remotior distat à communi stipite, eo etiam distinguuntur conjungendæ personæ, de quibus agitur, inter se. *c. fin. x. de Consang. & Affin. Tholos. d. lib. 9. c. 9. n. 26. Covarr. part. 2. c. 6. §. 6. n. 7.*

22. Computatio autem Jur. Canonici, quantum inconvenientiæ contineat, cuius obvium est, & ad oculum demonstrat, *Hottom. Beza. Alb. Gentil. & novissime Rittershus. lib. 1. diff. cap. 5.* Unde quamvis non immerito longè præferendam Canonice civilem supputationem existimet Beza, sciendum tamen,

tamen, quod non obstante consideratione Bezae & aliorum, in Consistoriis plerisque omnibus computatio Jur. Canonici observetur & secundum eam pronuncietur. Vide *Beust. de Matrim. 6, 51. in fin. Cypr. de Matr. p. 2. c. 6. §. 3.*

23. His ita praemissis, videamus quousque Sponsalia sint inter cognatos prohibita. Et quidem in linea recta conveniunt jus divinum, Civile & Canonicum, quia omnia isthaec habent prohibitionem sponsaliorum inter has personas usque in infinitum *Levit. 18. v. 7. item v. 10. §. 1. Inst. de Nupt. l. 53. ff. eod. c. progeniem c. de consanguinitate sua c. in copulatione fidelium 35. q. 3.* Quod etiam extenditur ad Parentes & Liberos Adoptivos etiam soluta adoptione *d. §. 1. Inst. de Nupt. l. 14. §. 1. l. 55. ff. eod.*

24. Quod etiamnum in linea transversa aequali verum est, ubi sponsalia primo gradu aequè omni jure prohibita de Jur. divino *Levit. 18. v. 9.* Civili *§. 2. Inst. de Nupt. Canonico. c. quod autem. 35. q. 1.* quomodocumque juncti sint *l. 8. l. 14. §. serviles. l. 54. de R. N.* Idemque obtinet in fratre & sorore adoptivis, durante scilicet adoptione *d. §. 2. Inst. de Nupt.*

25. Non ita in linea transversa Inaequali: nam Jura divina & civilia in hac linea prohibent sponsalia inter eos, qui sunt sibi parentum & liberorum loco *Levit. 18. v. 12. §. 3. & 5. Inst. de Nupt. l. 17. C. eod.* Canonica vero inter Collaterales indistinctè usque ad quartum gradum inclusivè (facta supputatione secundum idem jus Pontificium) prohibent *c. pen. & ult. x. de Cons. & Affin.* quo fit, ut qui non sunt sibi parentum loco, tamen interdum conjungi nequeant, & contra qui habent istum ad invicem respectum, possint conjungi. *Sutholt d. disp. 2. aphor. 38.*

26. Sed nostrae Ecclesiae medium veluti sectantes, tertium gradum lineae inaequalis prohibent, eundem vero in linea aequali permittunt, prout in Consistoriis responderi testatur

*Coler.*



*Coler. decis. 2. Schneid. de Nupt. rubr. de Arb. consang. n. 8. Beust. de Matrim. c. 56. Facit Churfürstl. Sächs. Kirchen vnd Policey Ordnung fol. 188. ibi. die Ehe wird im vierdten Glied ( linea scil. inaequalis ) nachgelassen Dn. Major. in disp. de grad. jur. div. prob. c. 12. th. 22. Nostræ tamen Erfurtensis Civitatis Constitutio tertium etiam æqualis lineæ gradum prohibuit, ut in quarto demum, sive æqualis sive inæqualis lineæ gradu nuptiæ sint permissæ. Ordin. Polit. tit. 25.*

27. Et hæcenus de Cognatione. Affinitas est propinquitas, quæ per nuptias masculus consanguineis fœminæ & fœmina consanguineis viri conjungitur. Hinc quia conjugum cognati non sunt, inter se affines, fit, ut pater & filius duas sorores ducere possint, mater & filia duabus fratribus nubere, itemq; pater & filius cum matre & filia, pater & filia cum sorore & fratre; mater & filius cum fratre & sorore, duo fratres cum duabus sororibus, fraterq; & soror cum sorore & fratre diversæ cognationis & vice versa conjungi possint. *c. quod super X. de cons. & Affin. §. 8. Inst. de Nupt.* Et quamvis matrimonia inter prædictas personas contracta raro esse felicia asserant multi, sciendum tamen, ex ejusmodi eventibus non esse perpetuò ferendum judicium, cum etiam aliorum conjugiorum adversitates sint assiduæ comites *1. Cor. 7. v. 28.*

28. Porro quia Affinitas est quoddam quasi simulacrum Cognationis, eodem modo prohibentur inter se contrahere Affines, quo cognati & inter eosdem gradus. Ergo qui inter Affines sibi sunt parentum & liberorum *§. 6. & 7. Inst. de Nupt. l. 14. §. 4. ff. eod. l. 4. §. 7. de Grad. vel fratrum & sororum loco l. 5. l. pen. & ult. C. de Incest. Nupt. jungi nequeunt Jur. Civili. Schneidevv. in arb. affin. n. 10. & 11.*

29. Quod jure Canonico prorsus est indubitatum; quippe quo præter hos, qui parentum & liberorum loco habentur, in reliquis ad instar cognationis ad quartum usq; inclusive gradum

B

gradum

gradum affinitas, ex moriente conjugē contracta obstat, quo minus superstes conjugum cum ulla intra quartum cognationis gradum pramorienti conjugū sanguine conjuncta, queat contrahere persona *c. non debet de Consang. & affin. Claris. Dn. Renneman. Jurisprud. Justinian. disp. 8. th. 31.*

30. Quamvis Ecclesia Reformata hīc iterum mediam viam eligens non modo quarto, sed etiam tertio cognationis gradu, priori conjugū junctam personam superstiti jungendam, permiserit. *Constit. Elect. Mauriti. anno XLIII. Quem tamen & ipsum Erfurd. Civitat. constitutio prohibuit, ut ante in cognationis gradibus est dictum. Claris. Dn. Renneman. d. loc.*

31. Et hæc de prima Prohibitionis causa determinata seu speciali nempe Propinquitate dicta sufficiant. Aliæ præterea erant causæ speciales ob quas matrimonium inter certas personas vel certo loco non admittebatur. Sic qui non erat Civis Romanus, non habebat Romæ jus Connubii *pr. Inst. de Nupt. Ita etiam Senator non poterat ducere libertinam, aliamve foeminam humilem l. 23. 27. 44. 58. 34. §. ult. 31. 42. §. 1. 47. ff. de R. N. l. pen. C. eod. Sed hoc mutatum est Novell. 78. c. 3. & 117. l. fin. C. h. t. Auth. sed novo jure C. de nat. lib. Præterea nec Præses poterat ducere Provincialern l. 38. 57. 63. & 65. h. t. tt. C. si quæc. præd. pot. nec tutor pupillam l. 36. 37. 59. 60. 62. 64. §. 1. 66. 67. h. t. tt. C. de Interd. matr. int. tut. Sutholt. d. disp. 2. aphor. 46. Verum ab hisce prohibitionibus Civilibus secundum jus Pontificium & consuetudinem harum regionum recessum creditur. *Beust. de spons. c. 21.**

32. Cæterum ex dispensatione Sponsalia possunt contrahi licite inter gradus prohibitos. Dispensatio vero concessa est non tantum S. Pontifici ut vult Tholosan. *d. lib. 9. c. 11. n. 23.* sed cuivis qui legem tulit, vel illius ferendæ potestatem habet. Neq; tamen concessa est ubiq; nam contra jus naturale & mandatum Dei nulla unquam hominis valet dispensatio, quan-

quæquam ubi humanæ autoritatis est dispositio, humanæ quoque potestatis est dispensatio. *Bechst. Collat. jur. Connub. c. 9.*

33. Modo fiat ex justa causa, quæ rationi consentanea sit & in commune bonum, pro quo lex omnis constituta, dirigatur *c. etsi illa. c. dispensationes c. tali. l. q. 7. Covarr. d. loc. §. 9. n. 16.* Cujusmodi sunt bonum pacis publicæ inter magnos Principes; favor liberorum ex tali matrimonio jam contracto natorum, item ut infidelium ad fidem conversorum nuptiæ ante contra jura contractæ maneat rata. *Kling. de Matr. tit. de Dispensat. & post eum Clariss. Dn. Rennem. d. disp. 8. th. 41. lit. 1.* Huc usque de Causa Efficiente.

34. Materia sponsaliorum sunt Nuptiæ futuræ, quæ in sponsalibus per reciprocam interrogationem & responsionem, vel ab ipsis personis conjungendis, vel aliis eorum nomine institutam serio promittuntur inter marem & foeminam, de quorum conjunctione agitur, postea conficiendæ. Ex quo non ipsæ Nuptiæ, sed spes tantum de futuris nuptiis existit *l. 6. de spons. l. 13. §. 3. ad L. Jul. de Adult. l. 2. C. de Repud. Clariss. Dn. Rennem. d. disp. 8. th. 57. lit. a.*

35. Omnia ergo sponsalia, si proprie loqui velimus, sunt de futuro, nulla de præsentis. Sponsalia enim quæ de præsentis vocantur Canonistæ, sunt verum matrimonium *arg. l. 30. de R. J. (jure tamen Canon. requiritur etiam benedictio sacra c. aliter 30. q. 5. c. 13. de Præsumpt. ut & Leon. Nov. 74.)* & improprie appellantur sponsalia respectu vinculi matrimonialis; possunt tamen appellari sponsalia, respectu executionis matrimonii & copulæ futuræ, quia uterque spondet in futurum, respectu consummationis, sed respectu vinculi promittit de præsentis. *Sutholt. d. disp. 2. aph. 9. Hillig. D. E. lib. 13. c. 18. lit. d.*

36. Porro accedit Promissioni huic etiam quandoque artha, vulgo nostris *Malschas. l. 3. l. fin. c. h. r.* hujus nomine datur ferè semper annulus *l. 36. §. 1. de donat. int. vir. & ux. l. 5.*

*S. 15. de Instit. act. l. 11. S. 15. de Act. empt. Plinius lib. 33. cap. 1.*  
ad hoc ut fidem faciat promissionis nuptiarum in sponsalibus  
factæ. Unde & ea desponsata præsumitur vel nupta, quæ  
annulos in digitis defert *c. illud. 11. de Præsumpt. Tholosan. lib. 8.*  
*c. 7. n. 6.*

37. Neq; tamen arrhas intervenire necesse est: ut enim  
matrimonium sine dote esse potest *l. fin. C. de donat. aut. nupt.*  
ita sponsalia citra arrham *c. tue. 25. X. de spons. Vvesenb. in Pa-*  
*rat. de spons. n. 6.* Quamquam ut *th. præc. dictum*, arrhæ ple-  
rumq; intervenire solent *d. l. 3. d. l. fin. C. h. r. l. 16. C. de Epif-*  
*cop. aud.* Adeoq; ut sæpe etiam per solam arrharum dationem  
sine alia promissione sponsalia contrahantur. *Schrader. Pra-*  
*cticab. Quæst. tit. 10. de Nupt. n. 47. Schneidvv. de Nupt. p. 1. n. 19.*

38. Insignitur autem sponsa annulo in quarto digito à  
pollice, quem vocant medicinalem, quia in eo quædam vena  
est sanguinis ad cor usq; perveniens *c. femina. 30. q. 5.* Melius  
rationem explicasse videtur Disarius apud Macrobium *lib. 7.*  
*c. 13.* dum tradit ex libris Anatomicorum, ex communi con-  
sensu annulum in digito, qui minimo vicinior est, manu præ-  
cipuè sinistra gestatum, quod nervus quidam de corde natus  
sursum pergit usq; ad digitum manus sinistrae minimo proxi-  
mum & illic desinit implicatus cæteris digiti nervis, & ideo vi-  
sum veteribus, ut ille digitus annulo tanquam corona circum-  
daretur. *Tholos. d. loc. n. 16.*

39. Dantur & Arrharum nomine alia etiam, ut catena,  
nummive tum aurei tum argentei *l. 2. C. quand. lic. ab empt.*  
*reced. vel quidvis aliud.* Quorum pignorum proprium est,  
ut si, quæ sponsalia major contraxit, nolit nuptias exsequi,  
teneatur arrhas duplicatas restituere; si minor contraxit, sim-  
plas restituat; & si qui dedit non contrahat, amittat. Nisi  
sine culpa alterutrius dissolvantur sponsalia, puta morte alte-  
rutrius, vel lege nuptias prohibente, vel solutionem permitten-  
*te l. 3.*

re l. 3. l. fin. C. h. 2. Tholos. d. loc. n. 12. Covarr. p. 2. c. 3. §. 7. n. 13. Beust. de spons. p. 7. c. 6. Et tantum quoque de Materia. Succedit sponsaliorum forma.

40. Quæ consistebat olim plerumque in solenni verborum conceptione, testatione, instrumentorum confectione l. 7. b. t. l. 13. l. 22. C. de Nupt. l. pen. C. de Repud. item interveniente annulo & osculo nonnunquam Sponsalia constituebantur l. 16. C. de donat. aut nupt. de quo vide Hottom. de Cast. Nupt. c. 4. Hodie in Consensu nudo l. 4. & 11. de spons. cum l. 30. de R. J. quæ solo perficiuntur sponsalia, dummodo ille fuerit Legitimus.

41. Legimitas autem Consensus consistit vel in Substantialibus vel Accidentalibus. Substantiale huius consensus est, quod non ex errore unius contrahentium sit inductus; nec vi vel metu majori extortus.

42. Quid igitur si contrahentes in aliquo errarint, num protinus nihil actum dicitur? non equidem, sed ita rem distingvi oportet, ut si error sit circa substantialia sponsaliorum, qualis est error in persona, ut si quis contrahat cum Titia, quam putat esse Pamphilam, reddat sponsalia nulla arg. l. 9. de contract. empt. Etiam si concubitus ex eodem errore probabili sit subsequutus, cum consensus & non concubitus matrimonium efficiat l. 30. de R. J. & plerumque hoc casu dolus soleat intervenire, qui decipienti non debet patrocinari l. 1. de Except. dol. Beust. de Matrim. c. 34. in. pr. Schneidevv. de Nupt. p. 4. de divort. n. 56.

43. Idem est si erretur circa qualitatem essentialem, ut potentiam generandi, item statum, ut quia est servus qui putabatur liber, deportatus qui credebatur civis, vel si circa necessitudinem, ut quia ignorabas esse amitam, sororem, quacum contraxisti. Sutholt d. disp. 2. aphor. 49. & seq. Cum enim ad substantiam sponsaliorum requirantur personæ, eaq; certæ,

& ad contrahendum habiles tum natura tum lege, sequitur, quod ubi tales deficient, nec sponsalia rectè contrahi queant.

44. Si vero circa accidentalia, ut si putetur dives, quæ paupertina est, pulchra quæ deformis, modesta quæ lasciva, proba quæ austera, nobilis quæ plebeia, sponsalia non vitiet. *Alb. Gentil. de Nupt. lib. 3. c. 3. & 4. VVesemb. in Parat. de R. N. n. 8.* etiam si dolus alterius dederit causam huic errori, ut si virgo per mendacium & fraudem dicta sit large dotata, pulchra, nobilis, atq; ita juvenis inductus ad contrahendum, qui aliàs eam non duxisset, si scivisset eam inopem, morbosam & deformem. *Sutholt d. disp. 2. aphor. 52. Covarr. p. 2. c. 3. §. 7. n. 4.*

45. De errore circa Virginitatem elegans disquisitionis est, an is Sponsalia vitiet, ut si quis promiserit vitiatæ, quam putabat Virginem? Et quanquam *VVesemb. in Parat. de R. N. n. 8.* eam retineri operose satis svadeat, idemq; *Pontifex in c. un. 29. q. 1.* severè jubeat, & operi huic caritatis remissionem peccatorum, divina fanè avthoritare promittat *in c. inter. 20. X. de spons.* Contrarium tamen *J. divino Deyter. 22. v. 21.* humano *l. 11. §. 5. de Act. empt.* rationi insuper bonisq; moribus *Nov. Leon. 93.* convenientius putamus. Id quod reconciliatione tamen prius tentata, non impetrata probat quoq; *Luther. Melanch. Beza. Schneidevv. p. 4. de Nupt. n. 59. cum seq. Beust. de Matrim. c. 34. & 35.* & etiamnum in Consistoriis nostris servari testatur *Reusner. lib. 4. decis. 5.* Devirginatio quomodo probari posset, vide apud *Arnise. de J. Connub. c. 2. Sect. 3. v. 16. & seqq. Alb. Gentil. 7. de Nupt. c. 9.*

46. Hæc de errore. Alterum quod ad substantiam legitimi consensus requisivimus, est quod non debeat esse vitiosus, & extortus. Cum enim consensum impediatur vis & coactio, ideo coacta sponsalia sunt nulla, quia desunt consensus. *l. 14. C. de Nupt. l. 134. de V. O.*

47. Me-

47. Metum autem vim hoc loco intelligo eam, quæ potest cadere in constantem virum, ut sunt metus mortis, cruciatus corporis, mutilationis membri, amissionis omnium vel majoris partis bonorum *l. 1. 2. & l. 3. quod met. caus. c. cum dilectus. c. Abbas de his quæ vi met. caus. Clariss. Dn. Rennem. d. disp. 8. thes. 44. lit. E.* cujus determinatio arbitrio Judicis relinquenda, qui ratione habitæ personæ metuentis aliter eum aestimabit in fœmina, aliter in viro *Sutholt d. disp. 2. aph. 54. VVesenb. de R. N. n. 8.*

48. Non reverentialem, veluti si quis tantum ex obsequio & reverentia, quæ Prælati; Parentibus & superioribus debetur, contraxit sponsalia cum virgine, quam non erat ducturus, hunc enim sufficientem non esse ad infirmanda sponsalia puto cum *Schneidvv. p. 2. de Nupt. n. 28.* nisi præcedentibus minis illatis ab eo, qui solet quod minatur exequi. *Schneidew. d. loc. Covarruv. d. part. 2. c. 3. §. 6. n. 4.*

49. Justus ergo metus sponsalibus tantum officit, idque non ita, ut sponsalia metu contracta, ex æquitate rescindantur. sicut fit in aliis contractibus *tt. quod met. caus.* sed ut sint ipso jure nulla *c. significavit X. de eo qui dux. in matrim. c. 14. & 15. de spons. Panormit. in c. 14. n. 2. & post eum Sutholt aphor. 55.*

50. Adeo ut ne subsistant juramento firmata. *text. in d. c. significavit. Gloss. express. in d. c. 2. de his quæ vi.* Etiam si metui forsam causam dederit sic coactus *c. veniens X. de spons. Clariss. Dn. Rennem. tb. 44. lit. f.* Nisi is qui ita contraxit deinde ultro cohabitet. Nam tum per spontaneam illam cohabitationem metus purgatur *l. 2. c. de his quæ vi vel met. caus.* quasi novo accedente consensu, & sponsalia valent *c. ad id, 21. X. de spons. Covarr. d. part. 2. cap. 3. §. 6. n. 1.*

51. Porro si libertas illa conjugii in effrenem abeat licentiam, ita ea temperata esse debet, ut unâ adhibeatur Consensus Parentum. Hunc enim honorem exhibere filios parentibus

tentibus suis & Deus & sua cuiq; ingenita natura jubet, adeoq;  
& divino & naturali dicimus adhibendum in contrahendis  
sponsalibus parentum consensum, non tamen ut loquuntur,  
de necessitate sed honestate, quia si omittatur, licet peccetur  
contra Deum & honestatem, non tamen protinus ipso jure  
nulla sunt sponsalia. *Sutholt d. disp. 2. aph. 56. Grotius de Jur. bell.  
& pac. lib. 2. cap. 5. n. 10. Riemer. dec. 2. q. 4. & 5. Frantz. Exerc.  
Inst. 2. q. 3. n. 4.*

52. Quod idem de Jure Canonico statutum existimat *Sut-*  
*holt aphorism. 57.* sed malè, cum contrarium sit diserte cautum  
à D. Ambrosio *c. honorantur 32. q. 3.* Tertulliano *lib. 2. ad U-*  
*xor. à Papa Evaristo c. aliter: Nicolao c. nostrates. 30. q. 5. Le-*  
*one c. qualis ib. Honorio c. 1. de despons. imp. Clemente tertio c.*  
*videtur. qui matr. acc. poss. item in Concil. Arelat. c. vidue. 27.*  
*q. 1. & Toletano c. fin. 32. q. 2. Meldensi c. fin. 36. q. 2. Clariss.*  
*Dn. Rennem. d. disp. 8. th. 50. lit. a. Cujac. Duaren. Coras. Vultej.*  
*Alb. Gentil. Beust. Cypræ. Borcholt. Riemer, dec. 2. q. 4.*

53. Quamvis etiam diversum statuerit Synodus Triden-  
tina, quæ hujusmodi clandestina rata & vera facit sponsalia,  
ut anathemate damnandi sint, qui ea rata & vera esse negant,  
& parentes ea rata & irrita facere posse affirmant, quæ subin-  
de tamen Ecclesiæ Dei ex justissima causa detestata fuerunt,  
Num recte? Negat hoc *Clariss. Dn. Renneman. d. th. 50. lit. c.*  
*quem vide.*

54. Cum J. Canon. concordat jus Civile, quo consensus  
Parentum ita est de essentia matrimonii, ut eo neglecto spon-  
salia non rescissione egeant, sed sint ipso jure nulla *l. 2. de R.*  
*N. S. 12. Inst. eod. Donell. lib. 3. Comm. 20. Riemer. d. dec. 2. q. 5.*  
Adeo ut etiamsi paræ conditionis sint contrahentes, etiamsi  
majorenes, vel parentes causas dissentendi nullas adferant,  
non tamen subsistant sponsalia sine consensu parentum con-  
tracta *arg. l. 8. de Public. in rem act. Clariss. Dn. Rennem. th. 51.*  
*lit. e.*



lit. e. *Quod etiam de .I. Statutario nostræ Reipubl. dicendum tit. 26.*  
§. *Als sehen menniglichen/ wes Standes etn jeder sey/ & §.*  
*würde aber/ verb. jemand wer der were &c.*

55. Imo etiam si concubitus sit invitis vel ignaris parentibus subsecutus, nihilominus tamen sponsalia hujusmodi sint irrita parentibus constanter redamantibus censenda, *Clariss. Dn. Rennem. d. loc. Sutholt d. disp. 2. aphor. 58.*

56. Quamquam ex neglectu paterni consensus nequam sufficiens & justa ad filium exheredandum sit causa *Nov. 115. c. 3. Sutholt d. aph. 60. Gilken. ad Avth. Non. licet C. de liber. praterit.* Præterquam si ad turpem & infamem personam sese filius applicuerit *Borcholt de Gradib. c. ut. par. poss. fil. exhered.* Quod idem statuitur in filia, quæ si luxuriosam vitam degere maluerit, quam patri maritum cum dote dare volenti obsequi, exheredari potest *d. c. 3. §. 11. Sutholt d. aph. 60. circ. med.*

57. Cæterum consensus Parentum sufficit, etiam si silentio præsumptus sit *l. 5. C. de Nupt. l. 7. §. 1. ff. h. t. præcedere tamen debet, J. Civili pr. just. de Nupt.* Nec enim consensus post sponsalia injussu contracta retrahitur, sed ab eo tempore tandem incipiunt esse sponsalia legitima, quando interpositus est consensus, quod probant non tantum *d. pr. Inst. de Nupt. sed & l. si uxor. 13. §. 6. in fin. de Adult. l. 68. de jur. dot. l. 6. C. de Nupt. Riemer. d. dec. 2. q. 4.*

58. Verum hætenus quæ dicta sunt, de illis parentibus accipi debent, in quorum potestate sunt liberi contrahentes *pr. Inst. de Nupt. De emancipato enim, quo minus is sine consensu sponsalia contrahere possit, dubitandum non est. l. 25. de R. N. §. 6. quibus. mod. jus patr. potest. solv. quod idem statuitur de filia, nisi sit an. 25. minor sive virgo, sive vidua, quæ nuptura patris l. 18. l. 20. C. de Nupt. vel in hujus defectu matris, tutorum & propinquorum d. l. 20. Dowell l. 13. c. 20. iudicio submittere se debet. Clariss. Dn. Rennem. th. 48.*

C

59 Quod

59. Quod si inter patrem, matrem, propinquos & filiam de delectu inter plures conditiones oblatas non conveniat, iudicis cognitioni causa erit committenda *d. l. 18. C. de Nupt. l. 1. l. 20. eod. Donell. d. l. 13. c. 20.*

60. Sed quid de patre, cujus jura propter avi concurrentiam sunt suspensa? Et quidem si pater ipse sit in patris sui potestate, in filii nuptias & avum & patrem consentire debere *l. 16. §. 1. de R. N. nisi ex eadem familia uxorem ducat l. 3. ff. eod. Ant. Gvibert. de Matr. Pacius centur. 5. q. 48.* In filiae verò avi auctoritatem sufficere putamus *d. l. 16. §. 1. de R. N. Grotius d. tract. l. 2. c. 5. n. 10.* non quod maturandæ magis puellarum nuptiæ, prout *Tiraqvell. in ll. connub. 1. n. 45.* conjicit, sed quia ex hac suus heres non agnascitur *§. fin. Inst. de Patr. pot. Hillig. D. E. 13. c. 20. lit. m.*

61. Et hæc quidem omnia Juri Civili, quod Justinianus nobis scriptum reliquit, sunt consentanea, quod jus quia de consensu parentum in sponsalibus explorando est justissimum, in plerisque Christianorum maximè v. Reformatae Religionis locis non tantum in usum est revocatum, sed etiam ex identitate rationis ad matrem, & filios emancipatos sine ætatis discrimine meritissimo sic extensum, ut sponsalia à liberis non requisito parentum assensu clanculum contracta, quàm diu parentes contra dixerint, non tam sint rescindenda, quam ipso jure nullà *Clariss. Dn. Rennem. th. 49. Schneidevv. d. p. 2. n. 39. cum seq. Beust. de Matrim. c. 45. VVesenb. de R. N. n. 3. & 8. Luther. lib. de caus. matr. Philip. in Exam. Beza de divort. Adde Const. Aug. Elect. von Chesachen. Const. SaxoCoburg. apud Bechstad. de Condit. spons. fol. 232. VVurtembergic. apud Bidenbach. c. 1. & Civitat. nostræ Erfurdens. in Ord. Polit. tit. 26. Von heimlichen Verlobnissen. §. Wir wollen ibi. unbündig/ vnkräftig/ von unwürden vnd nichtig seyn/ etc.*

62. In tantum, ut et si jurisjurandi religione, vel qua alia  
obte-

obtestatione & execratione fuerint firmata, nihilominus tamen pro nullis sint habenda *c. mulier. 32. q. 2. l. 5. C. de legib. c. non est obligatorium de R. J. in 6. argumento fortissimo Num. 30. v. 3. 4. 5. Harprecht. ad pr. Inst. de Nupt. n. 76. & seqq. Beust. de Matrim. c. 48.*

63. Idemq; juris deficientibus Parentibus in personis propinqvorum, tutorum & curatorum observari, videre licet ex plerorumq; locorum statutis, *quale est Ducatus Luneburgici in Ordin. Cellensi anni 45. Electoratus Saxon. in Const. Aug. anni 55. tit. Von Pfarrherrn S. dieweil ver. ohn ihr Eltern oder denen sie befohlen/ Vorwissen vnd Noth ic. Civit. nostra Erfurd. in Ord. Polit. d. c. 26. S. Als setzen/ ver. vnd seiner Eltern/ oder in mangel deroselben/ der jentigen/ so an statt der Eltern seyn/ als Vormundere vnd andere nechstgesippen vnd angewandte Freunde/ &c. Minorumq; sponsalia propter dissensum Curatorum vel Propinqvorum super statuto Erfurdensi sæpius irrita pronunciata in scabinatu Jenensi testatur Clariss. Dn. Rennem. thes. 52. lit. e.*

64. Accidentalialia (supra thes. 41.) in quibus legitimitas Consensus consistit, sunt, quod cum sponsalia hodie solo consensu consent, ideo non tantùm inter præsentem, sed etiam absentes, per nuncium, literas, procuratorem recte inceduntur *l. 4. l. fin. h. t. Duaren in tit. solut. matrim. c. 2. Alber. Gentil. 2. de Nupt. 14. VVesenb. de sponsal. n. 6. modo procurator iste mandato speciali fit instructus l. 34. in pr. de R. N. Beust. de Matri. c. 43. Schrader. Practicab. quest. tit. 10. n. 49. in fin.*

65. Sed & in præsens aut in futurum, purè, in diem, sub conditione & similibus modis concipi possunt *tt. de condit. appof. c. pen. cum similib. de sponsal. sicut & reliqui contractus, qui consensu celebrantur l. 7. l. 41. de Contrah. empt. VVesenbec. d. loc. n. 6.*

66. Quod si purè & sine adiectione ullius conditionis

contrahuntur sponsalia, statim efficax inde nascitur obligatio & actio ad compellendum eum, qui nuptias consummare recusat. *Panormit. in c. super X. de condit. adposit. Motz. de contr. tit. de divis. sponsal. n. 13.*

67. Si sub conditione & aliquo casu, cujus eventus est incertus, ante existentiam conditionis spes tantum actionis est quaesita §. 4. *Inst. de V. O.* Impleta vero conditione, id quod erat spes, incipit competere *re l. 213. de V. S. d. §. 4. Inst. de V. O. Wesenb. in Paratitl. de Contrah. empt. n. 10.*

68. Dummodo illa conditio fuerit honesta & possibilis, quae per naturam vel leges aliquando impleri possit, veluti ducam te si parentibus meis placuerit, quo casu ante conditionis eventum nequaquam quis cogi potest ad consummandum matrimonium *d. c. super eo de Condit. apposit. nisi ante conditionis eventum sponsus cognoscat sic desponsatam, quo casu non expectato conditionis eventum matrimonium efficitur purum, cum per copulam carnalem a conditione recessum videatur c. per tuas & c. de illis de condit. app. Bechstad. de condit. spons. p. 1. c. 2. n. 7. Praejudicium vide apud Cyprae. de sponsal. c. 8. §. 2. n. 7.*

69. Idque usque adeo verum est, ut etsi sponsus ante copulam expressè protestetur, se a conditione recedere nolle, nihil ei profit protestatio, ut quae facta sit contraria. *Schneiderv. p. 2. de Nupt. n. 36. Beust. de sponsal. c. 19. Cyprae. de sponsal. c. 8. §. 2. n. 5. secus tamen est, si prius sponsalibus renunciatum fuerit, cum enim ibi non reperiantur sponsalia, copula superveniens matrimonium inducere nequit Bechst. d. loc. n. 9.*

70. Fallit supradicta assertio, si parentes ante carnis copulam contradixerint, & de contradictione illa certiores facti nihilominus concubuerint. Tunc enim cum nihil sit purum aut conditionale, quod talis concubitus confirmet, coitus carnalis operari nihil potest. *Glos. ad d. c. per tuas. in verbo sponsalibus. & c. ult. in fin. de sponsa. duor. arg. c. examinata. de Confirmat.*

71. Si

71. Si filius adhuc sit sub potestate parentum. Licet enim tunc concubitus interveniat, quando talis quis sub prædicta conditione matrimonium promisit, tamen cum ex nondum emancipati parte consensus non fuerit integer *pr. Inst. de Nupt. l. 2. c. 9. d. R. N.* conditio illa propter defectum consensus paterni purificari nequit. *Bechstad. d. loc. n. 17.*

72. Si post carnis copulam Parentes vitiatæ stupratori urgenti eam concedere nolint. Cum enim vitium illatum filia potestate patria eam non eximat, Parentes cum dissentienti & renuendi causas habere possint, licite vitiatam stupratori denegabunt *Cypræ. de sponsal. d. c. 10. §. 14. n. 1.*

73. Quid verò si sub impossibili conditione sponsalia sint contracta? Et quamvis hic pleriq; omnes inter conditiones impossibiles, vel turpes distingvant, ut, si contra matrimonii substantiam, sponsalia faciant irrita; si verò aliàs vel turpes, vel factio impossibiles, vel peregrinæ sint, tum pro non adjectis habeantur sponsalibus propter favorem matrimonii salvis. *Beust. de spons. c. 18. c. seq. Covarr. p. 2. c. 3. §. 2. Schneidevv. part. 1. de spons. n. 35. c. seq.* Quia tamen illa distinctio non tantum à libus Civilibus penitus abhorret, sed etiam contra ipsam est matrimonii substantiam, merito eam abolendam putat *Clariff. Dn. Rennem. th. 59. lit. i.* ut sive sub turpi sive impossibili conditione contracta sint sponsalia, merito pro nullis sint habenda. *Vide etiam Bechstad. de Constit. spons. p. 1. c. 5. 6. c. seq.*

74. Finis sponsaliorum est, ut nuptiæ h. e. conjunctio individua in sponsalibus per reciprocam interrogationem & responsionem, vel ab ipsis personis cōjungendis, vel aliis eorum nomine institutam promissa, ex aliquo temporis intervallo subsequantur. *Vvesenb. in Parat. de sponsal. n. 5.*

75. Et hæc sint de causis sponsaliorum contrahendorum dicta, sequitur contractorum effectus. Sponsalibus contractis desponsatorum alter alteri ad nuptias ritè post adornan-

das est obligatus, nec alter illorum poenitere potest, nisi arrhas quas dedit, amittere velit *l. fin. C. h. t. Beust. c. fin. de spons.*

76. Sanè si nulla justa subsit causa, ob quam nuptias desponsatorum alter contrahere recusat, cogi potest ad illas contrahendas *arg. l. 7. §. 1. de eo quod cert. loc. l. 50. §. 8. de legat. 1. l. 112. de V. O. c. ex literis 10. de spons. c. de illis. 7. §. mulier de desponsat. impub. Alb. Gentil. de Nupt. lib. 6. c. 2. & quidem vel eo die, qui nuptiis ex conventionem est dictus *c. sicut. 22. de spons. vel si dies definitus non sit, quamprimam sponso commodum videbitur; dummodo si cum sponsa intra provinciam degat, illud ultra biennium l. 2. C. de spons. & si in peregrinatione, ultra triennium non differat l. 2. C. de Repud. Nam si ultra hoc tempus ducere eam supersederit, illa potest impunè alii nubere *d. l. 2. C. de spons. nisi etiam justa causa moram triennii vel longiorem excuset l. 17. ff. eod. Theosan. d. lib. 8. c. 2. n. 9.***

77. Sunt & alii sponsaliorum effectus, ut hæc non quidem affinitatem, publicam tamen honestatem inducant inter sponsum & cognatos sponsæ, & inter sponsam & sponsi cognatos. *§. si uxor Inst. de Nupt. l. 12. §. 1. ff. eod. l. 8. de Gradib. c. si quis uxor. c. si quis desponsaverit 27. q. 2. Beust. de spons. c. fin. quod is qui secunda sponsalia contrahit, antequam prima fuerint soluta, efficiatur infamis l. 1. de his qui not. infam. Schrader. Practic. quest. d. tit. 10. n. 86. quos omnes hinc persequi instituti ratio non finit. Paucula superaddemus de contrariis, quæ sunt.*

78. Modi, quibus ritè contracta sponsalia dissolvuntur, qui alii de J. Civili, alii Canonico. Jure Civili corruptis ac perditis Civitatis Romanæ moribus flagitiosa & detestanda repudiorum libertas adeo increbuerat, ut uni altero etiam invito sine causa testatò tamen *l. 9. de divort. liberum fuerit renunciare sponsalia contracta l. 1. C. de spons. l. 6. c. 10. ff. eod. l. 2. §. 2. de divort. nec poena ulla quamvis promissa eo nomine*  
peti





peti potuerit. l. 134. de V. O. l. 2. C. de inutil. stipul. Hottom. de  
Cast. Nupt. c. 4.

79. Quæ repudiorum libertas de Jure Canonico aliquan-  
tùm restricta & tantùm ex probabili causa veluti propter u-  
triusq; mutuam dissensum per c. præterea de spons. propter graves  
inimicitias & odia implacabilia d. c. præterea propter morbum  
contagiosum, incurabilem, abominabilem c. ult. de conj. lepr.  
c. quemadmodum in pr. de jurejur. propter fornicationem & stu-  
prum etiam violentum subsecutum d. c. quemadmodum. pro-  
pter defectum conditionum aut pactionum c. de illis de condit.  
appos. propter lapsum temporis c. sicut de sponsal. & deniq; quo-  
ties justa aliqua ratio svadet è re ipsorum contrahentium  
non fore conjunctionem permissa. Duaren. ad tit. solut. matrim.  
rubr. de sponsal. c. 4. in fin.

80. In Consistoriis verò Reformatarum Ecclesiarum  
hodie ferè penitus adempta: Jurene an injuria, videant ipsi,  
qvi judicem neq; debere, neq; posse repudium permittere cla-  
mitant, qvi desponsatos à se invicem capitalibus discordantes  
odiis, sub exilii carceris vel bonorum pœna nuptias sæpe in-  
faustas & in fames contrahere cogunt. Rectius eos facturos  
putarem cum Clariss. Dn. Renneman. th. 88. si quod jure divino,  
naturali & Civili omnimodo & quodammodo etiam jure Ca-  
nonico datum est sponsis, id eis contra prædicta jura non de-  
negarent, detrectantes ex causa sponsos sedulo potius mo-  
nerent, quam ut invitæ parti, quod sapius in omnis vitæ per-  
niciem vergit, exosam partem per vim brachii secularis ob-  
truderent. Hæc brevissimè de sponsalibus ex Au-

toribus nostro seculo clarissimis hæc  
vice pro ingenii tenuitate di-  
cta sufficiant.

SOLI DEO GLORIA.



**Q**uā benè conjungit Fratres concordia? Munus  
Hic respondentis, Præsidis ille subit.  
Quām benè conveniunt iidem de fine laborum  
Dum Patris exemplum pergit uterq; sequi?  
O factum felix, Pater, ò signanda lapillo  
Res albo, & natis post imitanda tuis.  
Ite bonis avibus, Fratres, Themis alma secundet  
Quod benè cœpistis, ter grave JURIS opus.  
Sed quoq; me comitem vestris adsciscite cæptis.  
Gaudium ut in triplici constet honore Patris.

*Sic*

*Patri &*

*Fratribus suis Dilectissimis gratulabundus  
ex Gym. Senat. acclamat*

**JOHAN: WILHELM. NORIN-  
BERGIUS** nunc Art. & Ling.  
Studiofus.





ULB Halle 3  
004 326 318



*f*

*sb.*

*WMA*







VSPICE  
 ASCE JURIDICAS  
 De  
 1629  
**ALIBVS**  
 lissimi in Alma  
 demia Ictorum  
 inis  
 SIDE  
 & Consultissimo  
 INO  
**GOTHCFRE-**  
**RGIO I. V. D.**  
 ollega dignissim, Fra-  
 norando  
 um ad d. Mart.  
 tioni subjicio  
**ERICUS NORIN-**  
 nia - Thuringus.  
 DIE  
 Pophori Mechleri, An. 1629.

41  
5

